Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26077
Copyright: Admont, Benediktinerstift

piscinam antiquam. & non aspexistis eum qui a principio fecit
eam. & creatorem illius non uidebitis. Illos quoque scissuras ciuitatis dauid
id est ecclesie uidebimus uel uidetis: que toto orbe multiplicate
sunt. qui congregatis aquas piscine uestre atque doctrine non supe
rioris sed inferioris. & domos ierusalem numerastis siue
destruxistis. ut muniretis murum uestrum. non fodistis puteos qui
uitales haberent & eternas aquas. sed lacos contritos qui aquam
non ualent continere. & fecistis eos inter duos muros noui & ue
teris instrumenti. & aquam piscine ueteris neglexistis. nec
considerastis datorem legis deum. & operatorem mundi penitus
neglexistis. Hoc iuxta hebraicum. ceterum iuxta lxx. conside
rauerunt se heretici quod multi essent & hac multitudine confi
dentes doctrinam ueteris testamenti auerterunt a ciuitate dei
que est ecclesia. & destruxerunt domos ierusalem. ut edi
ficarent conciliabula malignantium. dumque uetus reprobant
instrumentum. nec nouum secuti sunt. quia nouum ueteris instru
menti testimoniis roboratur. Propterea inter duos muros ue
terem & nouum fecerunt sibi nouas aquas quas interiores esse pu
tant. & maiora continere mysteria quam in testamento
ueteri continentur. & non respexerunt dominum qui ueteris instru
menti conditor est. & factorem eius non elonge quidem uidere uo
luerunt. Et uocauit dominus deus exercituum in die illa ad fletum
& ad planctum. & ad caluitium & ad cingulum sacci. & ecce
gaudium & leticia occidere uitulos & iugulare arietes com
medere carnes & bibere uinum. Comedamus & bibamus.
cras enim moriemur. Et reuelata est in auribus meis domini exer
cituum. Si dimittetur iniquitas hec uobis donec moriami
ni. dicit dominus deus exercituum. Cotidie dominus deus exercituum pro
cat hereticos ad penitentiam qui inter duos muros aquam
piscine ueteris contempnentes foderunt sibi lacum & con
gregauerunt aquam piscine inferioris. que non de celo